attentiùs expensa, sinceram, ac legitimam Animæ inquirendæ Methodum, quam in nullo priscorum Sapientum codice inveneram, deprehendi; quam adamussim ad usum revocans, Animam a corporis mensuris abhorrere, immortalique vita perfrui, quod anteá, tanquàm involutum arcanum in Sacrosanctæ Religionis pectore delitescens, sola fide tenebam, in ipsiusmet Rationis fulgore deinde prospectavi, summoperè gaudens, me in luminis ingeniti notionibus insigniius Catholicæ Pietatis rudimentum reperiisse. Quæ cum ita se habeant, Veritatis, & Augustini Apologiam eodem quodammodo tempore contexens, arduum hoc, meisque profectò viribus impar Opus aggressus sum, quo ea Augustini cogitata potissimum aperire, & exponere curavi, quæ, & quàm incorrupta, & inculpata tàm Sacri Authoris doctrina de Animæ natura sit, indicarent, ac unà, in Orthodoxæ Religionis triumphum, a corporea magnitudine, & interitu humanam Intelligentiam immunem esse, ostenderent. Attamen cui hasce meas elucubrationes offerre debueram, nisi Tibi Sapientissime, & Ornatissime Princeps, qui me ad excelsam Augustini